



Pt. 55. n. m. 25.
1748/1
~~H~~ DISSERTATIO IVRIDICA
IN AVGVRALIS

4

DE IIS

QVIBVS IURE ROMANO NON
EST PERMISSVM FACERE
TESTAMENTVM

QVAM

ILLVSTRIS IURECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

P. 210. IN ALMA VIADRINA

D. APRIL. A. CLOCC XXXXVIII.

PRO SVMmis IN VTROQVE IURE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS CAPESSENDIS

PRO PONIT

FRIDERICVS IOHANNES BVCK
PHILOSOPHIAE ET LIBERALIVM ARTIVM MAGISTER, REIPV-
BLICAE REGIOMONTANAЕ ADSISTENS BIBLIOTHECA-
RIVS, ET SOCIETATIS TEVTONICAE
VIADRINAE MEMBRVM.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI WINTERI

ACADEM. REG. TYPOGR.



DISSESTATIO IURIDICA
INAGARVATIS

DE H

QVADRIVM ROMEANO
ET HERBARIVM VGERE
TESTAMENTVM

OVA

THEATRIS ULTRICIASALORVM CORDINIS
ACUTORITATE

IN ALMA VADRIINA

D. APRIL. A.D. 1500. XXXXVII.

PRO SUMMIS IN ARTOOAE IARE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORIBVS CAPERRIBVS

PROLONVT

FRIEDRICHAS IOHANNES BACK

PHYSOPHAE ET THERMALVM ANTVM MAGISTER REPA-

HICAE REGIONOMONTANAE ADISTANS DIUINOTHECZ


R. ET SOCETATS TESTIMONIE

VADINIAE MVRINIA

FRANCISCHI AD VADRUM

EX OFFICINA IOVANNIS CHRISTIANI WINTERTI

AGRA M. X. T. T. T. T. T.





L E T T R A

C A P V T I.

M O D E I I S I C O

Q V I B V S I V R E R O M A N O N O N E S T P E R M I S S V M F A C E R E T E S T A M E N T V M I N G E N E R E

D E F I N I T I O .

§. I.

Q u i declarare nequit, quid cum rebus suis fieri velit,
de rebus suis libere disponere non valet.

S C H O L I O N .

§. 2. Licet genuinus facultatis libere disponendi significatus non adeo
incognitus sit, tamen eum in limine hujus dissertationis distincte
explicare necessarium duximus. Cum enim ostensuri simus, qui
nam apud Romanos illi fuere, qui praeципue testamentum facere
haud potuerunt, impotenter vero monstrauerimus, iis prohibitam
fuisse testamentacionem, qui de rebus suis libere disponere haud
valuerunt, regulae methodi scientificae, juxta quam hanc dissertationem
qualemque elaborauimus, merito postulauerunt, definitionem
facultatis libere disponendi statim in principio adducere.
Ita interim hanc definitionem condidimus, vt eadem clara non fo-
lum sit atque perspicua, verum etiam cum communibus, quos icti
hac de re habent, conceptibus consentiat. Afferuimus videlicet,
illum libere de rebus suis haud disponere posse, qui nulla volun-
tate gaudet, secundum suum arbitrium cum rebus suis agendi, et
qui nullam potestatem habet, eam clara et distincte declarandi.

C O R O L L A R I V M .

§. 3. Qui ergo 1) nullum proprium habet arbitrium, vel
2) nulla voluntate gaudet, cum rebus suis id faciendi,
quod lubet, vel 3) voluntatem suam de eo, quod cum
rebus

A

rebus suis fieri debet, verbis vel scriptis declarare, seu distincte explicare nequit, libere de rebus suis disponere non potest. (§.1.)

LEMMA.

- §. 4. Res nostras, vel ad nostram, vel aliorum internam externaque veram felicitatem promouendam, applicare, obligati sumus.

SCHOLION.

- §. 5. Quoniam experti sumus, ea principia, quae hucusque exposuimus, non sufficere, ad nostras subsequentes leges demonstrandas, aliud probandi fundamentum in subfundium assumere, illudque antecedenti paragraphe inscribere debuimus. Interim hanc propositionem peculiari demonstratione non corroborauimus, idque eam ob rationem fecimus, quoniam Philosophos illam sat clare tradidisse obseruauimus.

COROLLARIUM.

- §. 6. Qui ergo nullum intellectum habet de vera interna, externaque felicitate promouenda, et de modo res suas ad eandem amplificandam, debite applicandi, is etiam nullam voluntatem habere potest, rebus suis secundum suum arbitrium vtendi, seu cum rebus suis id faciendi, quod secundum leges Iubet (§.4.) Consequenter, qui nullum intellectum habet, de vera interna, externaque felicitate obtainienda, et de modo res suas ad eandem promouendam debite applicandi, de rebus suis libere disponere nequit (§.3.)

OBSEERVATIO.

- §. 7. Homines masculi ante annum decimum quartum, et foeminae ante annum duodecimum aetatis communiter intellectum de propria aliorumque vera internaque felicitate obtainenda, et de modo res suas ad eandem promouendam debite applicandi accipere non solent.

SCHOLION.

- §. 8. Non diffitemur, quosdam olim exstitisse mortales, qui ante annum decimum quartum et duodecimum aetatis rectum intellectus et

et iudicij vsum ad obtinendam felicitatem necessariam, adepti sunt. Verum constat etiam inter omnes, numerum eorundem in relatione illorum, qui has praestantissimas animi vires non tam cito consecuti sunt, valde exiguum fuisse. Eam ob rationem circumspete assueverimus, homines, experientia teste, communiter ante decimum quartum, et duodecimum non solere accipere intellectum, de propria aliorumque vera interna, externaque felicitate obtinenda, et de modo res suas ad eandem promouendam debite applicandi.

COROLLARIVM.

§. 9. Ergo masculi, qui annum decimum quartum, et foeminæ, quæ annum duodecimum aetatis non egressi sunt, de rebus suis libere disponere nequeunt (§. 7.6.)

DEFINITIO.

§. 10. *Impuberes* apud Romanos illi appellantur, qui annum decimum quartum, et annum duodecimum aetatis non compleverunt. Illi *impuberes masculi*, hi *foeminae* audiunt.

SCHOLION.

§. II. Romanos olim eos pro impuberibus habuisse, qui annum decimum quartum, et duodecimum aetatis non egressi sunt, ex eo patet, quoniam illos puberes esse aestimarunt, qui annum decimum quartum, et duodecimum compleuerunt. Ita Augustus lege Papia Poppaea puellas duodecim annorum puberes seu viri potentes esse censuit; *καὶ τὰς κοπέας ἐς τὴν τέ γάμον ὥραν ετη πλήρη νομίζεται*: duodecim annos puellis ad nuptias sufficere statuit. Porro secundo post Christum faeculo Proculejani quatuordecim annos ad pubertatem masculorum requisiuerunt; vt patet ex Macrob. Saturnal. VII, 7. et ex Somnio Scipionis I, 6. Et praefertim Justinianus sancta promulgata constitutione statuit, vt masculi anno aetatis XIV. puberes, et foeminae duodecimo viri potentes haberentur; vt apparet ex L. ult. C. quando tutor. eff. def.: *Indecoramus observationem in examinanda marium pubertate refecantes, jubemus, quemadmodum foeminae post impletos XII. annos omni modo pubescere judicantur, ita et mares post excessum quatuordecim annorum puberes existimentur, indagatione corporis inhonesta cefante.*

A 2

THEO-

THEOREMA.

§. 12. Impuberes de rebus suis libere disponere nequeunt.

DEMONSTRATIO.

Masculi, qui annum decimum quartum, et foeminae, quae annum duodecimum non compleuerunt, de rebus suis libere disponere nequeunt (§. 9.) verum, qui annum decimum quartum, vel duodecimum aetatis non absoluuntur, impuberes nominantur (§. 11.) Ergo impuberes de rebus suis libere disponere nequeunt. Q. E. D.

OBSERVATIO.

§. 13. Homines, qui rectum sanæ rationis usum omni tempore non habent, eo tempore, cum illo careant, intellectu de propria, aliorumque vera interna externaque felicitate obtainenda, et de modo res suas, ad eamdem promouendam debite applicandi, orbati esse solent.

COROLLARIUM.

§. 14. Qui ergo rectum sanæ rationis usum omni tempore non habent, tum temporis, cum eodem careant, libere de rebus suis disponere nequeunt (§. 13.6.)

DEFINITIO.

§. 15. *Furiosus* apud Romanos is vocatur, qui furore actu laborat, vel in illum cito, et facile iterum incidere potest. *Furor* audit ille morbus, quo quis sana sua ratione recte uti impeditur.

SCHOLION.

§. 16. Furiosi duplicitis sunt generis. Alii furore actu laborant, seu sana sua ratione recte uti nequeunt, alii saepissime intermissionem furoris patiuntur, et ad tempus sana sua ratione frui possunt, licet facile et cito in eundem morbum incidere soleant. Duplicem hanc furiosorum divisionem juri nostro conformem esse, ex variis Romanorum legibus clare probari potest. Sic l. 14. D. de offic. Praef. l. 12. §. 2. D. de judic., l. 6. C. de impub. et al. subdit., l. 22. §. 7. D. de sol. matrim. sermo est, de furiosis, quorum morbus, seu furor perpetuus est. Sic vero l. 20. §. 4. D. qui test. fac.

fac. poss., l. 6. C. de curat. furios. dand., l. 9. C. qui teft. fac. poss., l. 2. C. de contrah. emt. agitur de furiosis, qui mente sanio-
re sunt, et furoris intervalla habent. Conf. Vinnii Comment. in
Instit., p. 102. et Briffonius de verb. signif. sub tit. furiosus. p. 514.

C O R O L L A R I V M.

- §. 17. Cum furiosus eo tempore, dum furore laborat, nul-
lum rectae rationis vsum habeat (§. 15.) sequitur, furio-
sum eo tempore, dum furit, libere de rebus suis dispone-
re non posse (§. 14.)

C O R O L L A R I V M.

- §. 18. Quia furiosus eo tempore, quo furor ejus intermis-
sus est, seu in dilucidis intervallis, rectum rationis vsum
habet, licet eundem ad tempus iterum amittere possit
(§. 15.) manifestum est, furiosos in dilucidis intervallis
libere de rebus suis disponere posse.

T H E O R E M A.

- §. 19. Qui a natura nihil exaudire, et simul nihil eloqui
potest, præterea litterarum nescius est, libere de rebus
suis disponere nequit.

D E M O N S T R A T I O.

*Qui nihil exaudire, et nihil simul eloqui potest, præterea
litterarum etiam nescius est, is voluntatem suam de eo quod cum
rebus suis fieri debet, nec verbis, nec litteris declarare valet;
(per exper.) consequenter de rebus suis libere disponere nequit
(§. 3.) Q. E. D.*

S C H O L I O N.

- §. 20. Vti ex l. 3. §. 2. de accus. l. hac consultissima 21. l. nostram
30. C. de testam. patet, pro litterarum nescio is habendus est, qui
nec legere, nec scribere didicit.

C O R O L L A R I V M.

- §. 21. Cum is, qui litterarum sciens est, et valitudine, vel
alio quolibet casu aliquod exaudire, et eloqui impedia-
tur,

A 3

tur, voluntatem suam de eo, quod cum rebus suis fieri debet, per litteras, licet non per verba declarare queat (per exp.) apertum est, eum de rebus suis libere disponere posse (§.3.)

DEFINITIO.

§. 22. Qui nihil eloqui *mutus*, et qui nihil exaudire potest, *surdus* appellatur. Qui ab eo tempore, quo natus est, nihil eloqui, et nihil simul exaudire potest, a *natura mutus, et surdus simul esse* dicitur.

SCHOLION.

§. 23. Consentient hae definitiones de muto et surdo datae cum ipsis verbis sacratissimi nostri Imperatoris. Sic enim Justinianus in §. 3. J. quib. non est perm. fac. testam. loquitur: Utique autem de eo surdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tarde exaudit. Nam et mutus est intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tarde loquitur.

COROLLARIUM.

§. 24. Qui a natuitate sua nihil simul eloqui, et exaudire potest, is communiter litterarum nescius esse solet. Ergo is de rebus suis libere disponere nequit (§.19.) Ille vero a natura simul mutus et surdus vocatur (§.22.) Ergo, qui a natura mutus et surdus simul est, libere de rebus suis disponere nequit.

COROLLARIUM.

§. 25. Qui litterarum sciens est, et valetudine, aut alio quolibet casu exaudiendi, eloquendique potentiam amittit, libere de rebus suis disponere potest (§.21.) Si quis ergo litterarum sciens, valitudine aut alio quolibet casu mutus et surdus fiat, cum antea non fuerit, is libere de rebus suis disponere potest (§.22.)

THEOREMA.

§. 26. Qui nihil videre potest, per litteras de rebus suis libere disponere nequit.

DEMON.

7

D E M O N S T R A T I O.

Qui nihil videre potest, voluntatem suam de eo, quod cum rebus suis fieri debet, litteris propria manu scriptis declarare nequit. (per experient.) Ergo qui nihil videre potest, per litteras de rebus suis libere disponere nequit. (§.3.) Q.E.D.

C O R O L L A R I V M.

§. 27. Cum ille, qui nihil videre potest, voluntatem suam de eo, quod cum rebus suis fieri debet, oretenus declarare queat (per experient.) sequitur, eum oretenus etiam de rebus suis libere disponere posse (§. 3.)

D E F I N I T I O.

§. 28. Qui nihil videre potest, *caecus* nuncupatur.

C O R O L L A R I V M.

§. 29. Caecus nihil videre potest (§.28.) ergo 1) per litteras de rebus suis libere disponere nequit (§.26.) et 2) oretenus libere disponere potest (§.27.)

T H E O R E M A.

§. 30. Qui res suas dissipare fuetus est, et non liberam earendem habet administrationem, quam superior magistratus interdixit, libere de rebus suis disponere nequit.

D E M O N S T R A T I O.

Qui res suas dissipare fuetus est, nullum intellectum habet de vera interna, externaque felicitate obtainenda et de modo, res suas ad eandem promouendam debite applicandi (per experient.) Ergo qui res suas dissipare fuetus est, libere de illis disponere nequit (§.6.) Q.E.P.D. Cui vterius superior magistratus liberam rerum suarum administrationem interdixit, is non voluntatem habet, pro arbitrio cum rebus suis faciendi, quod tubet; adeoque libere de illis disponere nequit (§. 3.) Q.E.S.D.

D E F I-



DEFINITIO.

§. 31. Qui res suas dissipare suetus est, et non liberam ea runderem habet administrationem, quam superior magistratus interdixit, apud Romanos *prodigus* appellatur.

SCHOLION.

§. 32. Vlpianus I. i. D. de tut. dat. ab his etc. prodigum quidem definit per eum, qui neque modum, neque finem impensarum habet, sed bona sua dilacerando, et dissipando profundit. Verum Vinnius in Comment. ad Instit. p. 101. existimat, ad definiendum prodigum non sufficere hanc luxuriosam bona dissipandi confuetudinem, verum potius in definitione adiciendam esse, interdictiōnē rerum sententia magistratus declaratam. Laudatus hic JCtus hac in re etiam justam tuerit sententiam. Non enim solum ex legibus XII. tabularum apparet, prodigum eum esse, qui bona sua non in propria potestate, et administratione habet; (vide Tab. V. a Gothredo restitutam, vbi sequentia exstant verba: Si furiosus aut prodigus existat, ast ei custos nec eicit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniae ejus potestas esto.) verum etiam idem patet, ex confusa, qua Praetor omnibus res suas dissipantibus iis interdicebat, formula: Quando tibi bona paterna, autaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis: ob eam rem tibi ea re commercioque interdico. Paulus Recept. Sent. III. 4. A. 7.

COROLLARIVM.

§. 33. Qui res suas dissipare suetus est, et non liberam ea runderem habet administrationem, quam superior magistratus interdixit, is de illis libere disponere nequit (§. 30.) Ergo prodigus de rebus suis libere disponere nequit (§. 31. 32.)

DEFINITIO.

§. 34. Qui Quiritis, ad cuius domum pertinet, proprius, et obligatus est, in rebus priuatis seu domesticis omnia secundum suum arbitrium agere et pati, quae non summis seu publicis legibus ciuilibus repugnant, is *dominio quiritario subesse* dicitur.

S C H O-

S C H O L I O N.

¶. 35. Cum plurimum ad percipiendam subsequentium demonstracionum efficaciam interfit, ut distincte intelligatur, quid ad eum, qui dominio quiritario, subiectus est, requiratur, non intermissuri sumus, adhuc plura illustrandae nostrae definitionis gratia ad dicere. Notabimus ergo sequentia, eaque scopo nostro multum inferuentia. Qui olim dominio quiritario subiectus erat, ut afferuimus, 1) ad dominum Quiritis cuiusdam pertinebat. Erat adeoque non extraneus, vel alias, qui modo ad tempus in orbe romano commorabatur, verum potius erat homo, qui vel liberis, vel servis, id est, domesticis adnumerabatur. 2) Ejusdem Quiritis, ad cuius domum pertinebat, proprius erat. Videlicet sua substantia ad 70 suum Quiritis ita pertinebat, ut illa eodem modo ad 70 suum alterius non pertineret, idque eam ob rationem, quoniam qui quis Quires e Romuli instituto ius habebat, de substantia omnium eorum hominum, qui in domo sua contenti sunt, pro arbitrio, utri usum fuerit, disponendi. 3) Denique obligatus erat, in rebus priuatiss seu domesticis omnia secundum suum arbitrium agere et pati, quae non summis seu publicis ciuilibus legibus repugnant. Nempe quoniam Quires ius habebat, non de sola sua substantia, sed etiam de suis accidentibus, ad quae praefertim actiones et passiones referenda fuit, pro arbitrio disponendi, obligatus etiam erat, in domo sua priuatim omnia secundum suum arbitrium agere et pati, quae domesticalia erant, et non summis, seu publicis legibus ciuilibus repugnabant. Hic est verus, quem de dominio quiritario subiecto olim habui, et adhuc habeo, conceptus. Alii limitioris judicii me doceant, an haec idea veritati sit consona, an potius singulari indigent emendatione. Quales interim notiones hac de re alii habent Jcti, eas ex scriptis eorundem colligere possumus.

D E F I N I T I O.

¶. 36. *Liberi* apud Romanos vocantur, qui dominio subiecti non sunt, et *serui* appellantur, qui domino quiritario subsunt.

S C H O L I O N.

¶. 37. Contra realitatein harum definitionum non objiciendum est, filiosfamilias liberos fuisse, interim dominio quiritario patris subiecti. Etenim notandum, filiosfamilias 1) ratione patris non liberos, verum potius res, ac seruos fuisse 2) ratione aliorum vero extraneorum liberos fuisse, eorundemque dominio quiritario

B

ideo



ideo non subiecisse. Gerh. Nood Probab. II. 9. p. 64. et Heinicci
Syntagm. Antiq. Romam. pag. 135. 136.

THEOREMA.

§. 38. Seruus romanus nihil proprii habet.

DEMONSTRATIO.

Si seruo romano nec sua substantia nec sua accidentia propria sint, profecto nihil proprii habet. Sed seruo romano nec sua substantia nec sua accidentia propria sunt. Etenim dominio quiritario alterius subiacet (§. 36. 37.) ergo eiusdem prius est, (§. 34.) hinc sua substantia sibi non est propria (§. 35.) Porro obligatus est, omnia secundum arbitrium illius, cuius dominio subest, agere et pati (§. 34. 36.) ergo suae actiones et passiones, quarum ope sibi aliquod proprium acquirere potest, etiam sibi non propriae sunt. Adeoque seruus romanus nihil proprii habet Q. E. D.

SCHOLION.

§. 39. Seruos romanos nihil proprii habuisse, ex potestate dominorum, cui subiecti erant, etiam luculentius probari potest. Domini enim apud Romanos jure vitae et necis in seruos suos utabantur. Cai. Inst. de iur. perf. §. 1. Hinc substantia ipsis non propria erat. Porro serui omnia dominis acquirere debebant. Cai. Inst. de vñcap. §. 1. Quamobrem accidentia ipsis etiam non competitabant. Ergo serui romani nihil proprii habebant.

CAROLLARIUM.

§. 40. Cum is, qui nullum proprium habet arbitrium, de rebus disponere nequeat (§. 3.) patet, seruum romanum nihil disponere posse (§. 38. 39.)

DEFINITIO.

§. 41. Qui alterius proprius, et obligatus est, omnia secundum suum arbitrium agere et pati, *in alterius potestate esse* dicitur.

SCHOLION.

§. 42. Vocabulum potestas apud JCtos in vario sensu sumitur. Etenim mox imperium, magistratui competens, mox dominium quiritarianum

DEFINITIO.

§. 43. Qui in hostium potestate sunt, in captiuitatem redacti dicuntur.

THEOREMA.

§. 44. Qui in captiuitatem redacti sunt, libere de rebus suis disponere nequeunt.

DEMONSTRATIO.

Qui in captiuitatem redacti sunt, hostium potestati subjacent (§. 42.) *Cum vero illi, qui in hostium potestate sunt, hostium proprii sint, et omnia secundum eorundem voluntatem agere et pati debeant* (§. 40. 41.) *consequenter nullum proprium habent arbitrium, nec sibi acquirere possunt; sequitur in captiuitatem redatos, nihil de rebus suis libere disponere posse* (§. 3.) Q. E. D.

SCHOLION.

§. 45. Idem ita probari potest. Qui in captiuitatem rediguntur, in potestatem hostium veniant (§. 42.) adeoque eorundem serui fiunt (§. 37.) Sed serui nihil libere disponere possunt (§. 40.) ergo qui in captiuitatem redacti sunt, libere de rebus suis disponere nequeunt. Non inferendum est, captos non esse seruos romanos, Regerendum, captos in servitatem detrudi, quae licet non romana sit, in pluribus tamen cum eadem congruit.

THEOREMA.

§. 46. Qui ad ferrum aut ad bestias, aut in metallum damnantur libere de rebus disponere nequeunt.

DEMONSTRATIO.

Qui ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnantur, libertatem amittunt, consequenter serui fiunt (§. 36.) ergo de rebus suis libere disponere nequeunt (§. 40. 41.) Q. E. D.

S C H O L I O N.

§. 47. Romanos, atroci sententia ad extremum supplicium damnatos, libertatis jura amisisse, evidentissime colligi licet ex Gajo lib. 17. ad edictum prouinciale: Hi vero, qui ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnantur, libertatem perdunt, bonaque eorum publicantur. 1. 8. §. 4. ff. qui testam. fac. poss.

D E F I N I T I O.

§. 48. *Cives Romani* (in sensu strictiori) vocantur cives (in sensu latiori), qui in vrbe, vel agro romano habitant, toga ornati sunt, et ad tribum pertinent, praeterea vel solum ius ciuitatis romanae habent, vel praeter hoc iure Quiritium simul gaudent. Illi *cives* (in sensu strictissimo) hi *Quirites* appellantur.

S C H O L I O N.

§. 48. Cum definitionem ciuiis Romani meditari incipiebam, varia JCTorum scripta, hanc materiam explicitantia, omni mentis acie perlustrabam. Ast mirum autorum hac definitione tradenda ex iis colligebam dissensum. Propriam ergo formare, et utile et necessarium ducebam. Multis adeoque consideratis incidebam tandem in eam definitionem, quam in antecedenti paragraphe proposui. Subiicio illam lubens eruditorum iudicio, et, quoniam in dies superior, veram notionem ciuiis romani explicandis permulxis legibus iuris Romani plurimum lucis affundere, a quounque ea, qua pars est, humanitate peto, vt expo sitam hanc definitionem vel assumere, vel emendare haud deditigetur. Quo interim ex clarius sententia mea de vario significatu vocabuli ciuiis Romani eluceat, eandem iam in medium proferam, datam nostram definitionem insimul illustraturus. Vox, ciuiis Romanus, olim triplicem habuisse significatum videtur. In sensu latiori vocati sunt cives Romani omnes ii, qui libera membra reipublicae romanae fuerunt, seu qui in orbe Romano vixerunt, domiciliumque suum haberunt, et vlo modo ad imperium romanum pertinuerunt. Hinc incolae urbis Romae, Latii, Itiae, Galliae Cisalpinae, Hispaniae Gaditanae, aliarumque prouinciarum foederatarum ciues Romani appellati sunt. Paull. Manutius de ciuit. Roman. pag. 29. et Heineccius in Syntagn. Antiq. Rom. Append. Lib. I. Cap. I. In sensu strictiori antiquitas eos nuncupauit ciues Romanos, qui liberi fuerunt, et urbem Romanam, agrumue romanum inhabitarunt, togam gesserunt

gesserunt, et ad tribum pertinuerunt, non adeoque in aliis oppidis, seu municipiis extra Romanum agrumue romanum sitis vixerunt, et fortunarum fuarum fedem collocarunt. Conf. in Graeui Thes. Antiq. Rom. Car. Sigonius de antiqui iure Civ. Rom. I. pag. 51. In sensu strictissimo tandem si vocati sunt ciues Romani, qui praeter commemoratas qualitates ius civitatis Romanae, id est, ius census, militiae, tributorum, vectigalium, suffragiorum, honorum, et sacrorum habuerunt, iure vero Quiritium, id est, iure libertatis, gentis connubiorum, patrio, legitimi dominii, haereditatis, atque uincacionis caruerunt. Leg. in Graeui Thes. Antiq. Rom. Paulus Manutius de ciuit. Rom. pag. 17., Car. Sigonius de antiqui iure Civ. Rom. I. p. 108. Ez. Spanhemius de Orb. Rom. I. p. 4. 28. et Heiniccius cit. loc. §. 23. 24. Qui haec, quae explanauimus, perpendet, non solum definitionem nostram de ciue Romano adductam bene intelligere, verum etiam subsequentes dissertationis nostrae paragraphos, et alias leges romanas, de ciuibus agentes, imposterum melius interpretari poterit.

DEFINITIO.

- §. 50. Qui non sunt ciues Romani (in sensu strictiori) *peregrini* audiunt.

SCHOLION.

- §. 51. Quoniam peregrini ciues Romani non erant (§. 49.) deterioris etiam erant conditionis. Videlicet nec domicilium, nec togam, nec tribum habebant, verum iure ciuitatis et Quiritium carebant (§. 48.) Heiniccius in Synt. Antiq. Rom. Append. Cap. VI,

THEOREMA.

- §. 52. Ciues Romani libere de rebus suis disponere possunt.

DEMONSTRATIO.

Quia ciues Romani proprio domicilio, et propriis aliis iuribus praediti sunt (§. 47. 48.) sequitur, eos multum proprii habere, et voluntate gaudere, cum rebus suis faciendi, quod luet. Ciues romani ergo libere de rebus suis disponere possunt (§. 3.) Q. E. D.

C O R O L L A R I V M.

§. 53. Cum peregrini non sint ciues Romani (§.49.) libere de rebus suis disponere nequeunt (§.51.)

D E F I N I T I O .

§. 54. *Obsides* sunt homines, a hostibus in securitatem promissionum bellicarum explendarum viatoribus dati.

T H E O R E M A .

§. 55. Obsides apud Romanos de rebus suis libere disponere nequeunt.

D E M O N S T R A T I O .

Obsides apud Romanos nullum domicilium, nullam togam, nullaque iura ciuium Romanorum habent (§.53.) Ergo obsides ad ciues non pertinent, sed peregrini sunt (§.49.) Hinc de rebus suis libere disponere nequeunt. (§.52.) Q.E.D.

D E F I N I T I O .

§. 56. Qui iussu superioris magistratus tecto, aqua, et igne in urbe agroue romano vti prohibentur, et vltro ad extera loca ibi, vbi lubet, sese conferre debent, eis aqua et igni interdictum est.

S C H O L I O N .

§. 57. Quoniam nullus ciuis Romanus, Cicerone, Nepote, Spanheimio, et aliis referentibus, jura ciuitatis inuitus amittere poterat, superior magistratus illa etiam ei adimere non valebat. Quodsi interim Romani quenquam e ciuitate electum vellent, illi tecto, aqua, et igne interdicebant; quibus necessariis vita subsidiis admittis, vltro exsilium eligere cogebatur. Quum itaque a nemine recipi posset; necessario in aliquam ciuitatem exteram se conferebat, eoque demum facto ciuitatis iura amitterebat. Huberus in præf. Juris ad ff. p. 1557. et Heinecius in Synt. Antiq. Roman. pag. 210. §. 10.

C O R O L L A R I V M .

§. 58. Cum is, cui aqua et igni interdictum est, non ciuis romanus permaneat (§. 55. 56.) de rebus suis etiam libere disponere nequit (§. 51.)

DEFI-

D E F I N I T I O .

§. 59. Qui iussu superioris magistratus, tecto, aqua, et igne in vrbe, agrisque Romano vti prohibentur, et ad certam prae scriptamque insulam a seruis publicis deportantur, *in insulam deportari* dicuntur.

S C H O L I O N .

§. 60. Nonnullis, quibus aqua et igne interdictum erat, addebatur deportatio. Hac vero ita fiebat, ut rei compedibus vineti, impotitique nauibus seruis publicis traderentur, et ab iis ad praescriptam insulam deportarentur, eo facto etiam res suas, et jura ciuitatis amittebant. Oisel. ad Caj. Inst. I. 6. 1. pag. 47. et Huberus in Digress. I. 3. 9. p. 195.

C O R O L L A R I V M .

§. 61. Cum in insulam deportati nullas res proprias habeant, et ciues Romani esse desinant (§. 58. 59.) manifestum est, eos de rebus suis libere disponere non posse (§. 3. 51.)

D E F I N I T I O .

§. 62. *Relegati in insulam* dicuntur, qui iussu superioris magistratus, vrbe vel prouinciam suam relinquere, et retentis suis iuribus ad determinatam insulam, ad rem publicam romanam pertinentem, sese conferre debent.

S C H O L I O N .

§. 63. Magna Romæ erat differentia inter deportatos et relegatos. Illi jure ciuitatis romanæ carebant, hi vero illud retinebant. Ita enim canit Ouidius, relegationem in Ponto passus, Trist. V. 2.:

Nec vitam, nec opes, jus nec mihi ciuis ademit,

Nil nisi me patriis iussit abesse foci.

Ipse relegati non exsulit vtitur in me

Nomine - - - - -

C O R O L .

C O R O L L A R I V M.

§. 64. Cum relegati ciues Romani sint (§. 61. 62.) libere de rebus suis disponere possunt. (§. 51.)

D E F I N I T I O.

§. 65. Ciuis Romanus, qui in domo suae potestatis est, siue pubes, siue inpubes, *parens seu paterfamilias* apud Romanos appellatur. Mares et foeminae, quae potestati patrisfamilias immediate, seu proxime subfunt, *filii, filiae et familiae* nominantur.

S C H O L I O N.

§. 66. Consentunt haec definitiones cum communibus Jutorum conceptibus. Etenim secundum horum sententiam paterfamilias 1) Ciuis Romanus esse debet. Ideo scribit Carol. Sigonius de antiquis Jur. Ciui. Rom. Lib. I. Cap. XII.: Attendum est, non cuilibet legandi potestatem lege permitti, sed patrifamilias tantum, id est, ciui Romanu, qui e patris potestate exierit 2) In domo suae potestatis esse oportet. Quamobrem patremfamilias Ulpianus Fragn. IV. 1. famili principem, et Seneca de benef. III. 11. domesticum magistratum vocat 3) Pubes et etiam impubes esse potest. Id eluet ex 1. 4. D. de his, qui sunt sui, vel alieni, jur. et l. 50. D. de leg. III. Per filios, filias et familiae nos recte intelligere omnes potestati patrisfamilias immediate seu proxime subiectos, eluet evidentissime ex Barn. Brifonio de verbor. signif. Lib. VII. p. 484.

T H E O R E M A.

§. 67. Qui in potestate, seu dominio quiritorio parentis est, libere de rebus disponere nequit.

D E M O N S T R A T I O.

Qui potestati seu dominio quiritorio subeft (§. 41.) intuiru parentis seruus est (§. 36.). Iam vero seruus libere de rebus disponere non potest (§. 40.) ergo qui in potestate seu dominio quiritorio parentis est, libere de rebus disponere nequit.
Q. E. D.

C O L O N

H Y P O-

H Y P O T H E S I S .

§. 68. Filiifamilias, et filiaefamilias in potestate, seu dominio quiritario patrisfamilias sunt.

S C H O L I O N .

§. 69. Auctor hujus juris erat Romulus. Ita enim locupletissime de eo scribit Dyonisius in Antiq. Rom. II. p. 96.: Romulus omnem parentibus in liberos potestatem in perpetuum dedit coercendi, verberandi, rusticis in operibus habendi, ac demum etiam occidendi. Erudite jus hocce etiam durissimum adumbrat Bynkersh. c. 6. de iur. occid. liber.

C O R O L L A R I V M .

§. 70. Cum filiusfamilias in potestate parentis sit (§. 67.) libere de rebus disponere haud valet. (§. 66.)

D E F I N I T I O .

§. 71. Res propriae, a filiofamilias militaribus actionibus acquisitae, bona castrrena, et ciuilibus actionibus comparatae, bona quasi castrrena audiunt.

S C H O L I O N .

§. 72. Non obstat liberos, vt antea demonstrauimus, nullum proprium habuisse arbitrium, adeoque ad illos nulla bona castrrena et quasi castrrena pertinuisse. Etenim notandum, primis temporibus post Roman conditam, liberos quidem omnia patri acquisuisse, et nihil proprii habuisse, sed sub Julio Cæsare, Tito, Domitiano, et Trajano Imperatoribus facultatem obtinuisse, pusillam quandam pecuniam ceu propriam acquirendi colligendique. §. 1. J. princ. de test. milit. §. ult. J. d. l. Complexum ejusmodi bonorum castrenium, peculium castrense, et bonorum quasi castrenium, peculium quasi castrense imposterum vocabimus.

C O R O L L A R I V M .

§. 73. Qui in potestate parentis est, libere de rebus suis disponere nequit (§. 66.) Ergo qui in potestate parentis non est, seu qui paterfamilias est, libere de rebus suis disponere potest. Iam vero filiusfamilias respectu bonorum

C

bonorum

bonorum castrorum et quasi castrorum paterfamilias est (§. 70. 71.) Ergo filiusfamilias libere de bonis castris, et quasi castris disponere potest.

DEFINITIO.

§. 74. *Testamentum* est legitima declaratio voluntatis alicuius de futura in bonis suis post mortem suam successione.

SCHOLION.

§. 75. Varias et diuersissimi generis de testamento quidem JCti protulerunt definitiones, sed selegi ex magno earundem numero illam, quam pra reliquis optimam, et scopo meo accommodatissimam deprehendi. Afferui videlicet, testamentum esse 1) declarationem voluntatis alicujus. Notum enim est, non qualecumque voluntatis declarationem, sed deliberatam et dispositivam expressionem ejusdem testamentum efficere. 2) Dixi, testamentum esse legitimam voluntatis declarationem. Et enim constat, quodvis testamentum, si validum, ex omni parte legibus conforme, id est, internis externisque requisitis instrutum esse debere 3) Aduxi denique testamentum esse legitimam voluntatis alicuius declarationem de futura in bonis suis post mortem suam successione. Patet enim, in omnibus testamentis testatorem legitime declarare, non solum quos successores sibi esse, sed quibus legibus ipsos bonorum suorum possessione adipisci velit. Interim momendum est, definitionem nostram modo materiale testamentorum, non vero formale earundem nobis exhibere. Hoc igitur scituri, notemus, testamentum in hoc sensu triplici modo posse definiri. Minimum ante leges lata XII. tabularum testamentum erat actus publicus, quo dominus quidam in comitiis calatis præmissa follemini rogatione ad populum voluntatem suam de futura in bonis suis post mortem successione declarabat. Post latas leges XII. tabularum testamentum erat actus priuatus, quo paterfamilias, vel nullis vel quibusdam adhibitis JCtis latine in ceris, qua lignea tabulis erant infusa voluntatem suam, quomodo post mortem suam cum bonis suis fieri volebat, vel propria manu, vel per alium scribebat, et eandem præsentibus familie emtore, antestato, lipripende, et quinque testibus ciubus Romanis promulgabat. Tempore Jultiniiani denique testamentum erat actus priuatus, quo paterfamilias uno contextu voluntatem suam de futura in bonis suis post mortem

tem successionē vel ipse scribebat, vel ab alio scriptam subscribebat, septem testibus præsentibus, subscriptibentibus, et annulo signantibus. Heinecius in Syntagm. Antiq. Roman. pag. 502-503. En habes genuinas testamenti et formaliter et materialiter considerati definitiones.

DEFINITIO.

§. 76. Qui legitime voluntatem suam de futura in bonis suis post mortem successionē declarat, *testamentum facere* dicitur.

SCHOLION.

§. 77. Notum quidem est, præter testamentifactionem actiuam adhuc dari passiuam, qua ex testamento aliquod acquirere licet. Verum testamentifactionem non in hoc passiuo, sed actiuo sensu definivimus; idque eam ob rationem fecimus, quoniam in subsequentibus de iis, quibus non est permisum actiuē condere testamentum, actiuū sumus.

THEOREMA.

§. 78. Qui libere de rebus suis disponere non potest, testamentum facere nequit, nisi vt liceret sibi testamentum condere a principe impetraverit.

DEMONSTRATIO.

Quicunque declarare nequit, quid cum rebus suis fieri velit, is legitime voluntatem suam de futura in bonis suis post mortem successionē declarare non potest, consequenter testamentum facere nequit (§. 73. 76.) Sed qui libere de rebus suis disponere nequit, declarare non valet, quid cum rebus suis fieri velit (§. 1.) Qui ergo de rebus suis libere disponere nequit, testamentum facere non potest. Q. E. P. D. Cum lex posterior deroget priori (per princ. Iuris) omnis vero principis permissione expresse data, lex sit (per def. legis) patet, eum etiam testamentum condere posse, qui vt liceat sibi testamentum facere a principe impetraverit. Q. E. D. S.

C 2

S C H O -

§. 79. Fundamentum, cui integra nostra dissertatio innititur, præsens in se complectitur paragraphus. Euincit eadem luculentissime, eos apud Romanos testamentum non facere potuisse, qui non libera rerum suarum dispositione, seu administratione polluerunt. Non opus habemus, hanc paragraphum pluribus corroborare argumentis. Clara eadem est, et certissimis principiis superstructa. Interim consentit etiam hoc assumptum principium cum illis, quæ primi haberunt legislatores romani. Etenim ante latas leges XII. tabularum is testamentum facere non poterat, qui ad comitia calata nullum habebat accessum. Verum ii., qui hisce comitiis interessent non poterant, nonne erant Romani, qui non pleno jure pro ciuibus, libera rerum suarum administratione prædictis haberi poterant. Nieuport in succinct. expl. rituum Rom. p. 38. §. 5. Porro post latas leges XII. tabularum testamentum condere prohibebatur, qui non paterfamilias erat. Sed nonne ii., qui patresfamilias non erant, libera rerum suarum dispositione carebant? (§. 66.) Euincit adeoque antiquus mos testandi apertissime, eum testamentum facere non potuisse, qui liberam de rebus suis disponendi potestatem non habuit. Cæterum notetur, in adjecta limitatione me per principem, non intelligere summum monarcham, verum potius eum, penes quem summum imperium, quod magistratus et etiam populus gerere potest.

D E F I N I T I O.

§. 80. Mortis causa alicui donare est res suas sub mortis conditione gratis in aliquem transferre.

S C H O L I O N.

§. 81. Hæc definitio consona est cum eis, que eruditus Brissonius de form. et solemn. Pop. Rom. Lib. VII. p. 667. egregie de donationibus mortis causa exponit: Non tantum, inquit, infirmæ validitudinis causa, sed etiam instantis, et præsentis periculi metu, vel etiam sola mortis cogitatione, ita donabant. Et interdum imminentे periculo commotus ita quis donabat, vt statim res fieret accipientis: interdum autem sic dabat, vt res non fieret accipientis, sed tunc demum cum mors esset insecura. Quandoque etiam sic donabatur, vt omnimodo ex ea valetudine mortuo, res non redderetur: et vt redderetur, etiam si prior ex eadem validitudine donator deceperet: si jam mutata voluntate restitui sibi voleisset.

COROL.

C O R O L L A R I V M.

§. 82. Cum is, qui mortis causa donat, nec haeredem instituat, nec caeteras testamentorum follemnitates (§. 73. 74.) obseruet (§. 79. 80.) sequitur eum non testari.

H Y P O T H E S I S .

§. 83. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere. L. 29. ff. de R. J.

S C H O L I O N .

§. 84. Hæc verba Ulpiani aliter Licinnius Rufinus lib. II. regul. exprimit: Quæ ab initio, inquit, inutilis fuit institutio, ex postfacto conualescere non potest. I. 210. ff. de R. J.

C O R O L L A R I V M .

§. 85. Ergo quod initio non vitiosum est, tractu temporis inualidum fieri nequit. (§. 82. 83.)

C O R O L L A R I V M .

§. 86. Ergo testamentum quod initio vitiosum est, tractu temporis conualescere nequit (§. 82. 83.) et testamentum, quod initio non vitiosum, seu validum est, tractu temporis inualidum fieri nequit. (§. 84.)

S C H O L I O N .

§. 87. Si afferimus, testamentum, quod initio validum est, tractu temporis inualidum fieri non posse, non negamus, valida testamenta in longo tempore conualescere posse, quoniam experientia docet, testamenta sapissime rumpi, irrita, et destituta fieri. Ait id in dubium vocamus, causam eiusmodi mutationis in mero tractu temporis latere. Accurata enim harum annullationum perfrutatio clare semper monstrabit, causam harum transmutationum testamentorum, mutationem, quam in longo temporis tractu, vel testator, vel bona ejusdem passa sunt, non vero ipsum tractum temporis fore. Hucusque solliciti fuimus, principia, quibus nostra superfructa est dissertatio, debite explicare. Nunc etiam hunc laborem finibimus, et ad thema dissertationis ipsum explanandum nos accingemus. Tribus verbis vero id elaborare poterimus, cum tam prolixo, et tam diu principiis disputationis nostræ enucleandis inhæferimus.

C A P V T II.

D E I I S

QVIBVS IVRE ROMANO NON EST PERMISSVM
FACERE TESTAMENTVM IN SPECIE.

§. 88.

L E X P R I M A.

Testamentum facere non possunt impuberes, §. 1.
J. q. n. est p. f. test.

D E M O N S T R A T I O.

*Impuberes de rebus suis libere disponere non possunt (§.12.)
Cum vero ii testari nequeant, qui non de rebus suis libere di-
sponere possunt (§.77.) sequitur impuberes testamentum facere
non posse. Q. E. D.*

L E X S E C V N D A.

§. 89. Furiosi eo tempore, dum furiunt, testamentum fa-
cere nequeunt. §. 1. I. q. n. e. p. f. t. L. 5. ff. q. t.
f. p.

D E M O N S T R A T I O.

*Furiosi de rebus suis eo tempore dum furiunt, libere di-
sponere nequeunt (§. 17.). Cum vero is testari non possit,
qui de rebus suis libere disponere non valet, (§.77.) patet,
furiosos eo tempore, dum furiunt, nullum testamentum facere
posse. Q. E. D.*

L E X

LEX TERTIA.

- §. 90. Furiosi in dilucidis intervallis libere de rebus suis disponere possunt (§. 18.) Ergo furiosi testamentum facere possunt per id tempus, quo eorum furor intermissus est (§. 77.) §. 1. I. quib. non est perm. fac. test.
L. 9. C. qui test. fac. poss.

LEX QVARTA.

- §. 91. Cum testamentum, quod initio non vitiosum est, tractu temporis inualidum fieri nequeat, (§. 85.) patet testamentum omni tempore valere, quod quis ante furorem fecit. §. 1. I. quib. non est perm. fac. test.

LEX QVINTA.

- §. 92. Qui a natura mutus, et surdus simul est, testamentum facere nequit. §. 3. I. quib. non est perm. test.
L. 6. §. 1. ff. qui test. fac. poss.

DEMONSTRATIO.

Qui a natura mutus et surdus simul est, libere de rebus suis disponere nequit (§. 24.) Jam vero is testari non potest, qui libere de rebus suis disponere nequit (§. 77.) Ergo qui a natura mutus et surdus simul est, testamentum facere nequit.
Q. E. D.

LEX SEXTA.

- §. 93. Testamentum, quod initio vitiosum non est, tractu temporis invalidum fieri nequit (§. 85.) Ergo si quis post testamentum factum validum aut alio quolibet causa mutus et surdus esse coepit, ratum nihilominus permanet testamentum. §. 3. J. h. t. L. 6. §. 1. D. h. t.

LEX

LEX SEPTIMA.

§. 94. Si quis litterarum sciens valetudine aut alio quolibet casu mutus et surdus fiat, cum antea non fuerit, is libere de rebus suis disponere potest (§. 25.) Ergo si cui morbus superueniens et vocem abstulit, et aures conclusit, litterarum tamen sciens est, is testamentum condere potest (§. 77.) L. 10. C. qui test. fac. poss.

LEX OCTAVA.

§. 95. Qui a principe licentiam testamentum facere obtinuit, testari potest (§. 77.) Si ergo mutus aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, a principe impetraverit, valet testamentum. L. 7. ff. qui test. fac. poss.

LEX NONA.

§. 96. Cæcus non potest facere scriptum testamentum. §. 4. J. quibus non est perm. fac. test.

DEMONSTRATIO.

Cæcus de rebus suis per litteras libere disponere nequit (§. 29.) Jam vero is testamentum facere non potest, qui non libera-ram rerum suarum habet dispositionem (§. 77.) ergo cæcus scriptum facere nequit testamentum. Q. E. D.

LEX DECIMA.

§. 97. Cæcus de rebus suis ore tenus libere disponere potest (§. 29.) Ergo coecus potest condere per nunciationem seu nuncupatiuum testamentum. L. 8. C. qui test fac. poss.

SCHOLION.

§. 98. Ea, quæ ad testamentum cœci necessaria sunt, prolixius explicat Iustinus: Hac confutissima lege, inquit, fancimus, ut caren-tes

tes oculis, seu morbo, vitioue seu ita nati per nuncupationem suæ condant moderamina voluntatis: scilicet præsentibus septem testibus, quos alius quoque testamentis interesse juris est, tabulario etiam: vt cunctis ibidem collectis, primum ad se conuocatos omnes, vt sine scriptis testentur, edoceant. Deinde exprimant nomina specialiter hæredum, et dignitates singulorum, et indicia, ne sola nominum commemoratio quicquam ambiguitatibus pariat: et ex quanta parte, vel ex quo vincis in successionem admitti debeant: et quid ynumquemque legatarium seu fideicommissarium adsequi velint: omnia denique palam edicant, quæ ultimarum capit dispositionum series lege conceffa. Quibus omnibus ex ordine peroratis vno eodemque loco et tempore, sed et tabularii manu conscriptis sub obtutu septem (vt dictum est) testium, et eorundem testium manu subscriptis, dehinc consignatis tam ab eisdem testibus, quam a tabulario, plenum obtinebit robur testantis arbitrium. &c. L. 8. C. qui test. fac. poss.

LEX V N D E C I M A.

§. 99. Prodigus testamentum facere non potest. §. 2. J.
quib. non est perm. fac. test. L. 18. ff. qui test. fac. poss.

D E M O N S T R A T I O.

*Prodigus libere de rebus suis disponere nequit (§. 33.)
Jam vero si testamentificationem non habet, qui libere de rebus suis disponere non potest (§. 77.) Ergo prodigus testamentum facere nequit. Q. E. D.*

LEX D V O D E C I M A.

§. 100. Testamentum, quod initio non vitiosum est, tractu temporis inualidum fieri nequit (§. 85.) Ergo testamentum, quod prodigus ante interdictionem bonorum fecit, valet. §. 2. J. quib. non est perm. f. t. L. 18. ff. qui test. fac. poss.

LEX D E C I M A T E R T I A.

§. 101. Seruus testamentum facere non potest. L. 16. 19. ff.
qui test. fac. poss.

D

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Seruus nihil de rebus disponere potest (§. 40.) Cum vero is testari non valeat, qui de rebus suis disponere nequit (§. 77.) patet, seruum testamentum facere non posse. Q. E. D.

LEX DECIMA QVARTA.

§. 102. Testamentum, quod initio vitiosum est, tractu temporis conualescere nequit (§. 85.) Ergo si seruus testamentum fecerit, et postea liber factus deceperit, testamentum non valet. (§. 100.) L. 19. ff. qui test. fac. poss.

LEX DECIMA QVINTA.

§. 103. Qui in captiuitatem redacti sunt, testamentum condere nequeunt. §. 5. J. quib. non est perm. fac. test. L. 8. ff. qui test. fac. poss.

DEMONSTRATIO.

Qui in captiuitatem redacti sunt libere de rebus suis disponere nequeunt (§. 43. 44.) Qui vero nullam liberam de rebus disponendi habent facultatem, testari non possunt (§. 77.) Ergo qui in captiuitatem redacti sunt, testamentum facere nequeunt. Q. E. D.

LEX DECIMA SEXTA.

§. 104. Testamentum, quod is, qui apud hostes est, ibi facit, inualidum est (§. 102.) Hinc cum testamentum, quod initio non vitiosum est, tractu temporis inualidum fieri nequeat (§. 85.) illud valet testamentum, quod, dum in ciuitate Romana fuerat, fecit, siue redierit, siue illic deceperit. Ergo ejus, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet, sed quod dum in ciuitate fuerat fecit, siue redierit, siue illic deceperit §. 5. J. quib. non est perm. fac. test. L. 8. ff. qui test. fac. poss.

LEX

LEX DECIMA SEPTIMA.

§. 105. Qui ad ferrum aut ad bestias, aut in metallum damnantur, testamentum facere nequeunt. L. 8. §. 4. ff. qui testam. fac. poss.

DEMONSTRATIO.

Hi enim libere de rebus disponere nequeunt (§. 45.) Ergo testamentum facere non possunt (§. 77.) Q. E. D.

LEX DECIMA OCTAVA.

§. 106. Cum ciues Romani libere de rebus suis disponere queant (§. 51.) manifestum est, ciues Romanos testamentum condere posse. (§. 77.)

LEX DECIMA NONA.

§. 107. Peregrini testari nequeunt. L. 8. §. 1. & 2. qui test. fac. poss. l. 1. ad L. Falcid. Auth. omnes peregrini. C. commun. de success.

DEMONSTRATIO.

Peregrini libere de rebus disponere nequeunt. (§. 52.) Ergo peregrini testari non possunt. (§. 77.) Q. E. D.

LEX VIGESIMA.

§. 108. Obsides testari non possunt. L. 11. D. qui test. fac. poss.

DEMONSTRATIO.

Obsides nihil disponere possunt (§. 54.) Cum vero ii testari nequeant, qui nihil disponere valent. (§. 77.) Hinc obsides testari non possunt. Q. E. D.

LEX VIGESIMA PRIMA.

§. 109. Ciues Romani testari possunt (§. 105.) Cum vero obsides accepto vnu togæ romanæ ut ciues Romani semper egerint, non amplius pro obsidibus, sed legitimis ciuibus Romanis habeantur (§. 47-50.) verum est, eos testari posse L. 32. D. de jure Fisci.

D 2

LEX

LEX VIGESIMA SECUNDA.

§. 110. Si cui aqua et igni interdictum sit, is testamentum facere nequit. L. 8. §. 1. ff. qui test. fac. poss.

DEMONSTRATIO.

Is, cui aqua et igne interdictum est, nihil disponere potest (§. 75.) Ergo testamentum condere nequit. (§. 77.)

LEX VIGESIMA TERTIA.

§. 111. In insulam deportati testari nequeunt. L. 8. §. 2. ff. qui test. fac. poss.

DEMONSTRATIO.

In insulam deportati nihil disponere possunt. (§. 60.) Qui vero nihil disponere queunt, testari non possunt (§. 77.) Ergo in insulam deportati testamentum facere nequeunt. Q. E. D.

LEX VIGESIMA QVARTA.

§. 112. Relegati de rebus suis libere disponere queunt (§. 63.) ergo relegati testari possunt (§. 77.) L. 8. §. 3. ff. a.l.

LEX VIGESIMA QVINTA.

§. 113. Qui in potestate parentis est, testamentum facere nequit. L. 8. §. 2. ff. qui test. fac. poss.

DEMONSTRATIO.

Qui in potestate parentis est, nihil libere disponere potest. (§. 66.) Sed, qui nihil disponere valet, testari nequit (§. 77.) ergo qui in potestate parentis est, testamentum facere non potest. Q. E. D.

LEX VIGESIMA SEXTA.

§. 114. Filiusfamilias testamentum facere non potest. L. 16. 19. ff. qui test. fac. poss. L. 11. C. qui test. fac. poss.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Filiusfamilias nihil disponere valet (§. 69.) Verum qui nihil disponere potest, testari nequit (§. 77.) Ergo filiusfamilias testamentum facere non potest. Q. E. D.

ALITER.

Qui in potestate parentis est, testari nequit (§. 112.) Sed filiusfamilias in potestate parentis est (§. 64.) ergo filiusfamilias testamentum facere non potest. Q. E. D.

LEX VIGESIMA SEPTIMA.

§. 115. *Filiusfamilias testamentum facere nequit (§. 113.) ergo filiusfamilias ne quidem, permittente patre, testari potest. pr. I. h. t. L. 6. ff. qui test. fac. poss.*

LEX VIGESIMA OCTAVA.

§. 116. *Quilibet id, quod alteri proprium est, gratis in tertium transferre potest, si proprietarius consentiat (per princ. Juris Nat.) Ergo filiusfamilias mortis causa patre consentiente donare potest (§. 79-81.) L. 7. §. 4. ff. de donat. L. 25. §. 1. L. 58. ff. de donat. M. C.*

LEX VIGESIMA NONA.

§. 117. *Filiusfamilias de bonis castrenisibus et quasi castrenisibus libere disponere valet (§. 72.) ergo filiusfamilias de bonis castrenisibus, et quasi castrenisibus testari potest. (§. 77.) l. 26. §. 1. D. de test. mil. L. vlt. C. de inoff. test. l. 6. §. 13. ff. de injust. rupt. et irrit. testam. l. 2. ff. ad S. C. Maced.*

LEX TRIGESIMA.

§. 118. *Si filiusfamilias testamentum fecerit de bonis, quæ non ad peculium castrense et quasi castrense pertinent, testamentum non valet, licet suæ potestatis factus defecerit. princ. J. in fin. quib. non est perm. fac. test. L. 19. ff. eod.*

DEMONSTRATIO.

Testamentum, quod filius familias de bonis, quæ non ad bona castrenia et quasi castrenia (§. 70.) seu ad peculium castrense et quasi castrense pertinent (§. 71.) fecerit, non valet. (§. 116.) Jam vero testamentum, quod initio vitiosum est, tractu temporis convalescere nequit (§. 85.) Ergo si filius familias testamentum fecerit de bonis, quæ non ad peculium castrense, et quasi castrense pertinent, testamentum non valet, licet suæ potestatis faciùs decesserit. Q. E. D.

SCHOLION.

§. 119. Jam ad finem perduximus nostram explicationem earum legum, quarum fundamenta antea præstruximus. Uberiorem et meliorem hac de re pertractationem olim bono cum Deo elaborate curabimus. Interim hanc opellam finituri, et a summo Numine supplices petituri sumus, ut conatus nostros qualescumque utiles et gratos esse jubeat.

DEO
OMNISCI
ET OMNIPOTENTI
LAETVS
LVBENS
LAVDES AGO
ET
GRATES GRATIASQVE HABEO.



Frankfurt a.O., Diss., 1946/50

ULB Halle

002 425 017

3



Pr. 55. nro 25.

1748, 1

4

DISSE~~R~~TATIO IVRIDICA
IN AVGVRALIS

DE IIS

QVIBVS IVRE ROMANO NON
EST PERMISSVM FACERE
TESTAMENTVM



FRIED.
VERS.
ALTE.